

Leistungskurs Bayern 1980

Die falschen und die wahren Güter

(Seneca, de providentia 6,1-5)

Der Philosoph Seneca versucht zu erklären, inwiefern und warum den guten Menschen die Härten des Lebens nicht erspart bleiben und ihnen die äußeren Glücksgüter versagt sind.

Quare bonis viris patitur aliquid mali deus fieri? – Ille vero non patitur: omnia mala ab illis removit, scelera et flagitia et cogitationes improbas et avida consilia et libidinem caecam et alieno imminentem avaritiam. Ipsos tuetur ac vindicat; numquid hoc quoque aliquis a deo exigit, ut bonorum virorum etiam sarcinas servet? Remittunt ipsi hanc deo curam: externa contemnunt.

Democritus (1) divitias proiecit, onus illas bonae mentis existimans. Quid ergo miraris, si id deus bono viro accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult sibi accidere? In exilium mittuntur viri boni: quidni, cum aliquando ipsi patriam non repetituri relinquunt? Occiduntur: quidni, cum aliquando ipsi sibi manus afferant? Quare quaedam dura patiuntur? Ut alios pati doceant: nati sunt in exemplar.

Putate itaque deum dicere: „Quid habetis, quod de me queri possitis, vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedit et animos inanes velut longo fallacique somnio lusi: auro illos et argento et ebore adornavi, intus boni nihil est. Isti, quos pro felicibus aspicias, si eos non qua occurrunt, sed qua latent videris, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem (2) parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida et sincera felicitas: crusta est, et quidem tenuis. Itaque, dum illis licet stare et ad arbitrium suum ostendi (3), nitent et imponunt (4); cum aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc apparet, quantum latae ac verae foeditatis alienus (5) splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura, quanto magis versaverit aliquis et undique inspexerit, meliora maioraque: permisi vobis metuenda contemnere, cupiditates fastidire. Non fulgetis extrinsecus; bona vestra introrsus obversa sunt.“ (247 Wörter)

-
- | | |
|-----------------------------------|--|
| (1) Democritus, -i | Gemeint ist Demokrit von Abdera, griechischer Philosoph im 5. Jh. v. Chr., Mitbegründer der Lehre von den Atomen |
| (2) ad similitudinem alicuius rei | hier: nach Art von etwas, wie etwas |
| (3) ostendi | hier: sich zeigen |
| (4) imponere | hier: Eindruck machen, täuschen |
| (5) alienus, -a, -um | hier: von außen kommend |